

Quædam huic sententiæ videntur adversari.

Verumtamen huic sententiæ, qua dictum est, fidelium quasdam rectas voluntates fines diversos sortiri, & tamen ad unum referri, videtur obviare quod alibi Augustinus monet, ne scilicet nobis duos fines constituamus, ita inquit in Lib. de sermone Domini in monte. (d) Non debemus ideo evangelizare, ut manducemus; sed ideo manducare, ut evangelizemus: ut cibis non sit bonum quod appetitur, sed necessarium quod adjicitur, ut illud Matth. vi. 33. impleatur: Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Non dixit: Primum quærite regnum Dei, & deinde quærite ista, quamvis sint necessaria: sed ait: Hæc omnia adjicientur vobis; id est, hæc consequentur, si illa quæritis: ne cum ista quæritis, illinc avertamini; aut ne duos fines constituatis, ut & regnum propter se appetatis, & ista necessaria propter illud. Ergo propter regnum Dei tantum debemus omnia operari; non solam, vel cum regno Dei mercedem temporalem meditari. Ecce hic aperte dicit, ne duos fines nobis constituamus; sed unum tantum, id est regnum Dei, cum supra dixerit bonas voluntates alios, & alios proprios habere fines.

Hic ostenditur, quomodo, licet videatur, non repugnent prædicta.

HÆC autem sibi non repugnare animadvertit qui verbis præmissis simplici oculo diligenter intendit: qui enim dixit, ne duos fines nobis constituamus; sed omnia propter regnum Dei faciamus, ipse præmisit, quod debemus manducare, ut evangelizemus. Cum autem hoc ita facimus, actionis illius finem Evangelium constituimus; sed & hunc finem ad regnum Dei referimus. Manducamus enim propter Evangelium, & manducamus, & evangelizamus propter regnum Dei. Duos ergo fines in manducando nobis constituimus; sed ita facientes, numquid peccamus? Absit. Nam & ipse sic facere suadet, si diligenter ejus verba inspiciamus. Cum ergo ait, ne duos fines nobis constituamus, fines in diversa tendentes intelligi voluit, scilicet quorum alter ad alterum non referatur. Ita & cum dicit, propter regnum Dei omnia tantum agenda, nec cum ipso mercedem temporalem meditandam; ita intelligendum est, ut non appetendo meditemur cum regno mercedem temporalem; ita quod non propter regnum, sed propter se, ut scilicet regnum propter se appetatur; & ista propter illud, sicut ipse docet. Si enim petimus vitam æternam, petimusque etiam temporaria à Deo; si ea petimus propter vitam æternam, non offencimus; neque sinistra tunc scit quid faciat dextera: quia mercedem temporalem non propter se meditatur, sed propter regnum Dei; ut sit læva sub capite, & dextera in amplexu. Alioquin si hæc temporalia propter se quærimus, sicut æterna, miscetur dextera sinistra. Ideoque cum Dominus dixerit, Matth. vi. 1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alibi ibid. 16. ait: (5) Sic luceant opera vestra bona coram hominibus ut glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Propter Deum ergo omnia facienda sunt, ut omnia quæ facimus, omniumque fines ad eum referamus.

De differentia voluntatis, intentionis, & finis.

Solet etiam quæri, quid distet inter voluntatem, & intentionem, ac finem. Ad quod dici potest, inter voluntatem & finem certo, atque evidenti modo distingui: quia voluntas est qua volumus aliquid; finis vero voluntatis est vel illud quod volumus, per quod impletur ipsa voluntas, vel potius aliud propter quod illud volumus. Intentio vero interdum pro voluntate, interdum pro fine voluntatis accipitur: quæ diligens ac pius lector in Scriptura, ubi hæc occurrerint, discernere studeat. Finis autem voluntatis est delectatio bona, vel mala, ad quam nititur quisque pervenire. Unde Augustinus super illum locum Psalmi vii. Scrutans corda, & renes Deus, sic ait: Deus solus scrutatur corda, id est quid quisque cogitat, & renes, id est quod quemque delectet. Quia finis curæ, & cogitationis est delectatio, ad quam cura, & cogitatio nititur quisque pervenire. Et paulo post: Opera nostra, quæ sunt in dictis, & factis, possunt homines videre; sed quo animo fiant, & quo venire cupiant, solus Deus videt: qui cum videt cor esse in cælo, & non delectari nos in carne, sed in Domino, id est cum bonæ sunt cogitationes, & earum fines, dirigit justum. Idem super alterius Psalmi ix. locum illum, scilicet: In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum, dicit: Pes animæ amor est: qui si pravus est, dicitur cupiditas, vel libido; si rectus, dicitur charitas. Eo movetur anima, quasi ad locum quo tendit, id est ad delectationem bonam, vel malam: quo se pervenisse per amorem lætatur. Finis ergo voluntatis, ut præmissum est, dicitur & illud quod volumus, & illud propter quod volumus; & intentio ad illud respicit propter quod volumus, & voluntas ad illud quod volumus. Ut, verbi gratia, si velim esurientem reficere, ut habeam vitam æternam; voluntas est qua volo reficere esurientem, cujus finis est refectio esurientis; intentio vero est qua sic ad vitam pervenire volo; finis autem supremus est ipsa vita, ad quem & alius finis refertur.

An illa intentio sit voluntas.

SED quæritur, utrum & intentio talis sit voluntas; & si voluntas est, an in hoc opere sit una atque eadem voluntas, qua volo habere vitam æternam, & qua volo reficere esurientem. Videtur nempe talis intentio esse voluntas: ut enim voluntas est qua volo reficere pauperem; ita & voluntas est qua per istud volo habere vitam: & alia quidem videtur esse voluntas qua volo habere vitam, & alia qua pauperi subvenire volo; sed ista ad illam refertur. Nam etsi hoc ita placet ut in eo cum aliqua delectatione voluntas acquiescat,

(5) *Vulgata*: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent, &c.
Ex Edit. P. NICOL. (d) Nempe Lib. II. cap. xxiv. vel secundum alia exemplaria cap. xvi. super illud: Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducavimus, aut quid bibemus?

nondum tamen est illud quo tenditur; sed hoc ad illud refertur; ut illud putetur tamquam patria civis, istud vero tamquam refectio, vel mansio viatoris: & sunt istæ voluntates affectus, sive motus mentis, quibus quasi gressibus, vel passibus tenditur ad patriam. Sicut ergo altera est voluntas videndi fenestras, ut supra docente Augustino, de Trinit. Lib. XI. c. vi. dicitur, altera quæ ex ista necitur, voluntas scilicet per fenestras videndi transeuntes; ita nonnullis alia videtur esse voluntas elemosynas dandi pauperi, alia voluntas habendi vitam. Alii autem putant quod una sit voluntas & hic, & ibi; sed propter subjectorum multipliciter diversitas memoratur voluntatem. Ceterum quodlibet horum verum sit, illud nulli in ambiguum venit, quin voluntas ex suo fine pensetur, utrum sit recta, an prava, peccatum, an gratia, & quin nomine intentionis aliquando finis, aliquando voluntas intelligatur.

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit de actibus in quibus peccatum consistit in generali, inquirens, utrum in quantum sunt actus, sint boni, & à Deo; hic determinat de ipsis actibus in speciali: & quia peccatum consistit in actu interiori, & etiam exteriori; ideo dividitur hæc pars in duas. In prima determinat de actu interiori voluntatis; in secunda de actu exteriori, xl. distinct. Post hæc de actibus adjiciendum videtur. Prima in duas. In prima determinat de actu voluntatis, ostendens unde in eo sit rectitudo, & peccatum, quia ex fine. In secunda inquirat, quomodo in voluntate possit esse vitium, xxxix. distinct. Hic oritur quæstio satis necessaria. Prima in duas. In prima ostendit quod rectitudo voluntatis est ex intentione finis; in secunda determinat de voluntate per comparisonem ad intentionem, & finem, ibi: Solet quæri, quid distet inter voluntatem, & intentionem, ac finem. Prima in duas. In prima ostendit quod bonarum voluntatum est unus finis, ex quo rectitudinem habent; in secunda inquirat, utrum ille unus finis sit tantum rectarum voluntatum finis, an etiam possint esse alii fines, ibi: Sed quæritur, utrum omnes bonæ voluntates unum tantum habeant finem. Circa primum duo facit. Primo ponit quod charitas est finis bonarum voluntatum. Secundo ostendit quod cum hoc fine Deus est finis, ibi: Qui vero charitatem sibi ponit finem, Deum sibi ponit finem.

Sed quæritur, utrum omnes bonæ voluntates unum tantum habeant finem. Hic inquirat, utrum possint esse plures fines rectarum voluntatum: & dividitur in tres. In prima determinat veritatem. In secunda ponit objectionem in contrarium, ibi: Verumtamen huic sententiæ, qua dictum est, fidelium quasdam rectas voluntates diversos fines sortiri, & tamen ad unum referri, videtur obviare quod alibi Augustinus admonet. In tertia determinat eam, ibi: Hæc autem non sibi repugnare animadvertit, &c.

Solet etiam quæri, quid distet inter voluntatem, & intentionem, ac finem. Hic determinat de voluntate per comparisonem ad intentionem, & finem. Circa hoc duo facit. Primo ponit dictam comparisonem; secundo inquirat etiam utrum intentio possit dici voluntas, & an intentio sit idem actus cum ea voluntate quæ communiter voluntas dicitur, ibi: Sed quæritur, utrum & intentio talis sit voluntas.

QUÆSTIO I.

HIC quinque quærentur.
Primo. Utrum omnium rectarum voluntatum sit tantum unus finis.
Secundo. Quid sit ille.
Tertio. Quid sit intentio.
Quarto. Si sit eadem voluntas, quæ est de fine (quæ

dicitur intentio) & quæ de his quæ sunt ad finem, quæ communiter voluntas dicitur.

Quinto. Si ex fine voluntas habet bonitatem.

ARTICULUS I.

Utrum sit tantum unus finis rectarum voluntatum.

1. 2. q. 1. art. 5.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod rectarum voluntatum non sit tantum unus finis. Charitas enim qua Deum diligimus, Deus non est, ut in I. Lib. dist. xvii. quæst. 1. art. 1. ostensum est: Sed rectarum voluntatum finis est Deus, & etiam charitas, ut in littera ostenditur. Duæ ergo rectæ voluntates non in unum finem tendunt.

2. Præterea. Ubi invenitur gradus in referendo res ad finem, ibi non est unus finis. Sed in tribus personis invenitur gradus, dum consideratur relatio rerum ad finem: unde Hilarius, (a) de Trinit. Lib. IV. & VIII. dicit: Caput omnium Filius est, caput autem Filii Deus est, & ad unum Deum omnia hoc gradu referuntur. Cum igitur unaquæque trium personarum rectarum voluntatum sit finis, ut in littera dicitur, videtur quod rectæ voluntates in plures fines tendant.

3. Præterea. Sicut res naturales habent speciem à forma, ita res morales habent speciem à fine: unde & secundum finem rectæ, vel pravæ sunt, ut in littera (b) dicitur. Sed rerum naturalium non est una forma. Ergo nec actuum moralium erit unus finis, ad quem dirigi debeant.

4. Præterea. Illud est finis actionis propter quod actio fit. Sed unusquisque agens cogitat in agendo de eo propter quod agit. Cum igitur multi rectas actiones agentes actu de Deo non cogitent, videtur quod non omnium rectarum actionum finis sit Deus; & ita diversarum erunt diversi fines, secundum quod agentium sunt diversæ cogitationes de fine.

5. Præterea. Illud sine quo non fieret aliquid, est propter quod fit illud. Sed multi sunt qui opera spiritualia non facerent, nisi quædam temporalia consequerentur. Ergo illa temporalia quæ consequi quærent, sunt finis operum eorum, & voluntatum: & tamen non dicuntur in hoc peccare: quia ut Apostolus dicit I. Corinth. ix. 10. debet in spe, qui arat, arare, loquens ad litteram in casu isto. Ergo præter Deum, & charitatem, rectarum voluntatum potest esse alius finis; & ita non omnes rectæ voluntates in unum tendunt.

Sed contra. Omnis voluntas quæ in diversa tendit, divisa est in plura. Sed rectum cor divisum non est, sed unitum: unde Osee x. 2. Divisum est cor eorum; nunc interibunt. Ergo recti cordis est unus finis ultimus.

Præ-

Ex Edit. P. NICOLAT. (a) Vel apud illum catholica Synodus, quam explicat in Lib. de Synodis can. xxvi. (b) Tum hac distinct. §. 3. tum etiam dist. xl. §. 2. ac deinceps.

Præterea. Ratio boni est à fine. Ergo ubi est summum bonum, ibi est finis ultimus. Sed summum bonum est unum tantum, ut supra dist. I. probatum est. Ergo rectorum voluntatum est unus finis ultimus.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod eodem ordine referuntur in finem quo procedunt à principio, eo quod agens unusquisque ordinat effectum suum in finem aliquem: & ideo secundum ordinem agentium est ordo finium. In progressu autem rerum à principio invenitur unum rerum principium primum, quod commune est omnium, sub quo inveniuntur alia principia propria, quæ in diversis sunt diversa: ita etiam in referendo res ad finem, invenitur ultimus finis omnibus communis, qui est ultimus finis; sed inveniuntur diversi fines proprii, secundum diversitatem entium. Bonum enim invenitur in rebus secundum duplicem ordinem, ut in XII. Metaphysic. text. com. LI. dicitur, scilicet secundum ordinem unius rei ad rem aliam, qui ordo similis est ordini quem partes exercitus ad invicem habent: & alius est ordo rerum ad finem ultimum, qui scilicet est similis ordini exercitus ad bonum ducis: & quia res referuntur in finem ultimum communem, mediante fine proprio, ideo secundum diversitatem finis proprii efficitur diversa relatio rerum ad finem ultimum. Sic ergo dicendum est, quod sicut rerum omnium unus est finis ultimus, scilicet Deus, ita & voluntatum omnium est unus ultimus finis, scilicet Deus; nihilominus tamen sunt alii fines proximi: & si secundum illos fines servetur debita relatio voluntatis in finem ultimum, erit recta voluntas; si autem non, erit perversa. Debata autem relatio voluntatis ad finem ultimum salvatur secundum illum finem quo voluntas nata est ultimum finem participare, in quo distinguitur à rebus aliis, quæ alio modo ultimum finem participant; & hic est charitas, vel beatitudo: & ideo non solum Deus, sed etiam charitas finis est omnium rectorum voluntatum.

Ad primum ergo dicendum, quod charitas non est finis ultimus, cum non sit finis communis quem omnia desiderant; sed est finis proprius voluntatis, per quem pertingit ad finem ultimum: & ideo non sequitur esse plures fines ultimos.

Ad secundum dicendum, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt unus finis ultimus, ut in littera dicitur, eo quod unicuique eorum convenit ratio finis, secundum quod quilibet est summum bonum; & hi tres non tria, sed unum summum bonum sunt. Unde hoc quod Hilarius dicit, *Omnia hoc gradu referuntur ad unum Deum*, intelligendum est, gradum esse in reductione creaturarum ad Filium, non autem inter Filium & Patrem, inter quos, ut Hieronymus (a) dicit super Isai. cap. xxv. nullus est gradus. Si tamen nomen gradus large pro ordine accipiatur, sic inter Patrem & Filium est gradus, id est ordo principii ad illud qui est de principio, non autem finis, & ejus quod est ad finem.

Ad tertium dicendum, quod actus morales non specificantur à fine ultimo, sed à finibus proximis: hi autem plures diversorum sunt, sicut & fines naturales sunt plures.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Qualis putatus olim Auctor expositionis fidei quæ Damaso perperam inscribitur, cum Pelagii tamen catholicum fingentis . . . confessio sit Innocentio missa, sed à Zozimo Innocentii successore suscepta.

Ad quartum dicendum, quod ad hoc quod alicujus actionis finis sit Deus, vel charitas, non oportet quod agendo illam actionem aliquis de Deo, vel charitate cogitet: nec iterum sufficit quod aliquis in habitu tantum Deum, & charitatem habeat (quia sic etiam actum venialis peccati aliquis in Deum ordinaret, quod falsum est) sed oportet quod prius fuerit cogitatio de fine, qui est charitas, vel Deus, & quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinarit; ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus sequentibus salvetur, ut patet in exemplo quod Avicenna ponit de artifice, qui, si dum opus suum exerceat, semper de regula artis cogitaret, multum in opere impediretur; sed sicut prius excogitavit per regulas artis, ita postmodum operatur; & sic in opere ejus rectitudo artis salvatur.

Ad quintum dicendum, quod non oportet illud sine quo non fieret aliquid, esse hoc propter quod fit: omne enim illud quod ad actionem exigitur, est illud sine quo actio non fieret, sicut instrumenta; nec tamen propter instrumenta fit actio. Ita etiam & qui in operibus spiritualibus temporalia quærunt, non quærunt ea tamquam finem actionis proximum, vel remotum, quia minus bonum non potest esse finis majoris; sed quærunt ea ad sustentamentum naturæ, & conditionis suæ, ut sic debite opera spiritualia exercere possint.

ARTICULUS II.

Utrum beatitudo, vel charitas sit finis communis, & unus rectorum voluntatum.

1. AD secundum sic proceditur. Videtur quod finis communis rectorum voluntatum, & unus, non possit esse charitas, vel beatitudo. Nihil enim quod est circa finem ultimum, est unus finis communis omnibus. Sed charitas est circa finem ultimum, scilicet Deum; & similiter etiam beatitudo, & bona delectatio, & hujusmodi. Ergo hujusmodi non possunt esse finis communis rectorum voluntatum.

2. Præterea. Nihil potest esse finis quod non est desideratum; nec potest aliquid desideratum esse quod occultum est. Cum igitur beatitudo occulta sit, quia Isaiæ LXIV. 4. dicitur: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te*; videtur quod beatitudo non possit esse finis rectorum voluntatum.

3. Præterea. Corporale bonum non est finis spiritualis boni, cum finis semper sit melior eo quod est ad finem. Sed vita æterna videtur quoddam corporale nominare, scilicet æternam conjunctionem nostræ animæ ad corpus. Ergo vita æterna non est finis spiritualium operum.

4. Præterea. Nullus finis habetur ante id quod est ad finem, cum per ea quæ sunt ad finem, in finem deveniatur. Sed charitas ante actus meritorios habetur. Ergo charitas non est finis rectorum operum.

5. Præterea. Opus dicitur rectum, secundum quod est aliqua virtute informatum. Sed sicut actus informatur charitate, ita etiam alii virtutibus. Ergo sicut charitas ponitur finis, ita & aliæ virtutes fines dici debent.

6. Præterea. Bonum simpliciter non ordinatur ut ad finem ad id quod est bonum huic: quia quod sim-

pliciter bonum est, melius est. Sed operatio est bonum per se, delectatio autem est huic bonum, scilicet operanti; & sic recta operatio est melior delectatione. Ergo recta operatio non ordinatur ad delectationem sicut ad finem.

Sed contra. Finem sine quo non potest esse conjunctio ad finem ultimum, oportet esse intentum sicut finem communem. Sed sine charitate, & beatitudine, & hujusmodi non potest esse conjunctio voluntatis hominis ad finem ultimum, qui Deus est. Ergo ista omnia rationem finis communis habent.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, quamvis omnium rerum sit unus finis ultimus, sicut unum principium primum, tamen unicuique rei debetur finis proprius, sicut & principium proprium; ita ut sicut ea quæ sunt unius generis, communicant in uno principio proprio illius generis, ita communicent in uno fine: qui quidem est communis omnibus quæ sunt in illo genere, non tamen omnibus rebus: nec potest esse debita relatio alicujus rei ad finem ultimum, nisi mediante fine qui suo generi debetur. Finis autem proprius uniuscujusque rei, per quem in finem ultimum ordinatur, est sua propria operatio. Unde & finis rationalis naturæ, per quem ordinatur in finem proprium, est perfecta operatio, quæ est propria naturæ illi. Sed perfectio operationis in tribus consistit, scilicet in objecto, habitu, & delectatione. Quanto enim objectum est altius, tanto operatio in illud tendens est pulchrior, & perfectior: unde ex objecto operatio perfectionem habet, & ex nobilissimo objecto altissimam perfectionem. Similiter etiam operatio perfecta non est nisi ex habitu: unde quanto habitus est perfectior, & operatio perfectior erit; & operatio perfectissima ab habitu nobilissimo erit. Similiter, ut dicit Philosophus in X. Ethic. cap. vi. delectatio perficit operationem, sicut pulchritudo juventutem: est enim sicut quidam decor operationis ipsa delectatio: & ideo oportet quod aliquod istorum sit finis communis rectorum voluntatum assignatarum. Ipsa autem operatio perfecta, beatitudo est, objectum autem altissimum Deus est; habitus autem perfectissimus caritas est; delectatio autem purissima est spiritualis delectatio, ut in X. Ethic. cap. viii. probatur: & ideo in littera dicitur, quod Deus rectorum voluntatum finis est, charitas, & bona delectatio, & beatitudo; ita tamen quod Deus ultimus finis sit, & beatitudo charitatem, & delectationem complectens; sit sicut finis sub fine, conjungens ultimo fini; cum operatio in objectum tendat: nec est recta relatio voluntatis in Deum nisi median- tibus his tribus.

Ad primum ergo dicendum, quod finis qui est (1) circa finem ultimum, non est finis communis omnibus rebus; sed potest esse communis in aliquo genere, & ita est de beatitudine: non enim creaturæ irrationales ad beatitudinem pervenire possunt, unde earum finis beatitudo non est; sed est finis rationalis creaturæ, quæ ad eam pervenire potest.

Ad secundum dicendum, quod quamvis beatitudo sit occulta quantum ad substantiam, tamen ratio beatitudinis nota est: omnes enim per beatitudinem intelligunt quemdam perfectissimum statum; sed in quo consistat ille status perfectus, utrum in vita, vel post vitam, vel in bonis corporalibus vel spiritualibus, & in quibus spiritualibus, occultum est.

In II. Sent. Tom. II.

(1) Al. circa. (2) Al. & habet habitum ex objecto proprio.

Ad tertium dicendum, quod vita dicitur dupliciter. Uno enim modo vita idem est quod esse viventis, ut in II. de Anima text. xxxvii. dicitur, quod vivere viventibus est esse; & hoc modo vita hominis relinquatur ex conjunctione animæ ad corpus, & vita æterna ex æterna conjunctione utriusque; & hoc modo vita æterna non est finis rectorum voluntatum. Alio modo dicitur vita operatio rei viventis; & hoc modo vita æterna dicitur operatio perfecta, qua homines beati in æternum Deum videbunt, secundum quod dicitur Joan. xvii. 9. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Et hoc modo vita æterna est finis rectorum voluntatum, & est idem quod beatitudo.

Ad quartum dicendum, quod charitas dupliciter potest considerari, vel in habitu, vel secundum quod bonum ejus resultat in actu, sicut bonitas cuilibet habitus resultat in actu ex habitu procedente. Si ergo accipiatur primo modo charitas, sic operationes rectæ, ante infusionem charitatis factæ, ordinantur ad charitatem ut ad finem, in quantum disponunt animam charitatis infusæ receptivam. Sed sic non intelligitur hic, sed intelligitur secundum quod bonum charitatis resultat in actu, sicut etiam Philosophus dicit in III. Ethic. cap. xiv. quod formis operatur propter bonum fortitudinis, in quantum opera sua ad finem fortitudinis refert, quod est fortiter operari. Similiter etiam caritatem habens refert opera sua in bonum charitatis, quod est ipsa operatio ex charitate procedens, scilicet dilectio Dei, & proximi.

Ad quintum dicendum, quod ad bonum alicujus virtutis non ordinatur nisi vel actus propriæ virtutis, vel actus alterius virtutis, qui est imperatus ab illa virtute; sicut actus proprius fortitudinis ordinatur in bonum fortitudinis, vel etiam actus magnanimitatis, qui est tendere in magna faciendâ, & ardua, secundum quod est à fortitudine imperatus. Nulla autem virtus imperat universaliter omnibus virtutibus, nisi charitas, quæ est mater omnium virtutum: (2) & habet hoc tum ex objecto proprio, quod est summum bonum, in quod immediate fertur; tum etiam ex subjecto, scilicet ex voluntate, quæ aliis viribus imperat: & ideo inter virtutes sola charitas dicitur communis finis omnium virtutum.

Ad sextum dicendum, quod operatio simpliciter est melior quam delectatio: & ideo, ut Medici dicunt, natura in opere generationis delectationem possit, ne animalia sua salute contenta, salutem speciei negligenter; quæ per actum generationis fit: unde delectatio propter operationem est. Non autem delectatio quamlibet operationem sequitur, sed operationem perfectam: & ideo sicut operationes imperfectæ ordinantur ad operationem perfectam, ita etiam ordinantur ad delectationem, quæ perfectam operationem exornat. Vel dicendum, quod finis potest alicui rei attribui dupliciter: vel secundum quod in se consideratur, & sic operatio non est ad delectationem, sed è converso: vel ex parte ejus quod in finem tendit; & sic operatio delectatione perficitur, & propter eam est sicut propter suam perfectionem: delectationes enim propriæ, sicut in X. Ethic. cap. vii. dicitur, augmentant proprias operationes: quia secundum quod operans talibus operationibus recitatur per delectationem earum, diligentius eas exercet.

Aaa

AR-

ARTICULUS III.

Utrum intentio sit actus voluntatis.

1. 2. quest. xii. art. 1.

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod intentio non sit aliquid voluntatis. Quia, ut in II. Ethic. cap. v. dicitur, omne quod est in anima, vel est passio, vel habitus, vel potentia. Sed intentio non nominat ipsam potentiam voluntatis, quia sic omnis actus voluntatis intentio dici deberet: similiter etiam (1) non est habitus animæ, quia habitus animæ sunt virtutes, vel scientiæ: nec iterum est passio in voluntate existens, quia passiones sunt in sensitiva parte, & non in intellectiva, ut in VII. Physic. text. xxix. probatur. Ergo intentio non videtur aliquid ad voluntatem pertinens.

2. Præterea. Ut in II. Physic. text vii. probatur, natura in sua operatione intendit finem. Sed agens per naturam, non agit per voluntatem: quia in eodem Libro distinguitur agens à proposito contra agens à natura. Ergo intentio non pertinet ad voluntatem.

3. Præterea. Luc. xi. 34. Si oculus tuus nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit: Glossa: (a) Oculus, id est intentio. Sed ratio oculi non competit voluntati, sed magis rationi: similiter etiam dirigere, quod intentioni attribuitur, rationis est, & non voluntatis. Ergo intentio non pertinet ad voluntatem, sed ad rationem.

4. Præterea. Voluntas est principium rerum operabilium, quæ ad practicum intellectum pertinent. Sed intentio non tantum est in practicis, sed etiam in speculativis, in quibus etiam finis invenitur. Ergo intentio non pertinet ad voluntatem.

5. Præterea. Potentiæ non potest attribui nisi duplex actus: vel qui convenit sibi per se; vel qui convenit sibi in ordine ad aliam potentiam. Sed intentio non potest esse actus voluntatis per se considerata, quia non denominatur à voluntate; actus autem qui est alicujus potentiæ per se, denominatur ad ipsa, sicut intelligere ab intellectu: similiter etiam non est actus ejus, secundum ordinem ad rationem, quia sic actus ejus est eligere, ut supra dictum est. Ergo intentio nullo modo est actus voluntatis.

Sed contra. Meritum, & demeritum in sola voluntate constitutum est. Sed secundum intentionem præcipue attenditur meritum, & demeritum. Ergo intentio ad voluntatem pertinet.

Præterea. Ut in littera dicitur, intentio est de fine. Finis autem habet rationem boni. Cum igitur bonum ad voluntatem pertineat, quia est objectum ejus, videtur quod intentio voluntatis sit.

S O L U T I O.

Respondeo dicendum, quod ex ipso nomine intentionis potest accipi ad quam potentiam pertineat. Intendere enim dicitur, quasi in aliud tendere. Intendere autem in aliquid, est illius potentiæ ad quam pertinet prosequi, & fugere aliquid. Hæc autem est appetitus, vel voluntas; non autem intellectus. Sed

(1) Al. tantum non animæ.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Sic etiam in Moral. Lib. XXVIII. cap. vi. vel cap. xiiii. in antiq. exempl. Gregorius explicat super illud Job xxxviii. Quis retendit super eam, scilicet super terram, lineam? Ex quo refertur in Catena aurea S. Thomæ, præter alias interpretationes ibi adjunctas.

verum est quod intellectus prædictus dicit aliquid de fugiendo, vel prosequendo, ut in III. de Anima text. xlv. dicitur: unde iudicium fugæ, & prosecutionis, ad intellectum practicum pertinet; non autem ipsa prosecutio, & fuga. Intellectus autem speculativus neque fugit, aut prosequitur; neque etiam aliquid de fugiendo, & prosequendo dicit; & ideo intentio non est actus cognoscitivæ, sed appetitivæ. Per hoc autem quod dicitur in aliquid tendere, importatur quædam distantia illius in quod aliquid tendit: & ideo quando appetitus fertur immediate in aliquid, non dicitur esse intentio illius, sive hoc sit finis ultimus, sive sit aliquid ad finem ultimum; sed quando per unum quod vult, in aliud pervenire nititur, illius in quod pervenire nititur; dicitur esse intentio. Hoc autem est finis: propter quod intentio dicitur esse de fine, non secundum quod voluntas in finem absolute fertur, sed secundum quod ex eo quod est ad finem, in finem tendit. Unde intentio in ratione sua ordinem quemdam unius ad alterum importat. Ordo autem unius ad alterum non est nisi per intellectum, cujus est ordinare. Sed in quibusdam intellectus ordinans appetitum in finem est conjunctus ipsi appetitui, sicut in habentibus intellectum, ut in homine, & in Angelo; in quibusdam autem intellectus ordinans est separatus, sicut in naturalibus, quæ diriguntur in finem ab intellectu naturam instituyente, & finem sibi præsignante. Appetitus autem intellectui conjunctus, voluntas dicitur; sed appetitus ab intellectu separatus, est appetitus sensibilis, & naturalis. Quamvis autem cuilibet horum appetituum intentio communis sit, per prius tamen in voluntate invenitur, quæ ab intellectu conjuncto in finem dirigitur; & ideo intentio primo, & per se actum voluntatis nominat, secundum quod in ea est vis intellectus ordinantis.

Ad primum ergo dicendum, quod in passione intelligitur etiam operatio: quia operationes animæ passiones etiam quædam sunt, quia intelligere est quoddam pati, & sentire. Vel etiam intelligitur in habitu operatio, qui principium operationis est: vel quia operatio non significatur ut in anima existens, sed ut ab anima egrediens.

Ad secundum dicendum, quod naturalia quamvis non habeant voluntatem, tamen intendunt aliquid per appetitum naturalem, secundum quod diriguntur in finem suum ab intellectu divino naturæ attribuyente inclinationem in finem, quæ inclinatio appetitus naturalis dicitur: & ideo non est ita proprie intentio in eis sicut in agentibus à proposito.

Ad tertium dicendum, quod dirigere, vel esse oculum, attribuitur intentioni, non secundum quod est actus voluntatis simpliciter, sed secundum quod vis rationis ordinantis in voluntate manet.

Ad quartum dicendum, quod cum voluntas moveat omnes potentias in actus suos, non solum est respectu eorum quæ ad practicum intellectum pertinent, sed etiam eorum quæ ad speculativum: sicut enim homo vult ambulare, vel aliquid hujusmodi facere; ita etiam vult considerare, & veritatem questionis alicujus invenire.

Ad quintum dicendum, quod intentio non est actus voluntatis absolute, sed in ordine ad rationem actum voluntatis ordinantem. Sed ratio potest ordi-

nare actum voluntatis dupliciter: vel secundum quod voluntas est de fine; & sic actus voluntatis in ordine ad rationem est intentio: vel secundum quod est de his quæ sunt ad finem; & sic actus voluntatis in ordine ad rationem est electio.

ARTICULUS IV.

Utrum voluntas uno & eodem actu velit finem, & ea quæ sunt ad finem.

1. 2. quest. viii. art. 3.

1. AD quartum sic proceditur. Videtur quod non sit unus actus voluntatis qui est de fine, & de eo quod est ad finem. Actus enim omnes distinguuntur secundum objecta, ut in II. de Anima, text. xxxiii. dicitur. Finis vero, & quod est ad finem, sunt diversa objecta. Ergo & motus voluntatis sunt diversi qui in ea feruntur.

Præterea. Non est idem in specie motus qui est ad ultimum terminum, & qui est ad medium, ut in X. Ethic. text. v. dicitur; sicut qui est ad nigredinem, & qui est ad pallorem ab albedine. Sed illud quod est ad finem, est sicut medium per quod itur in finem quasi in ultimum terminum. Ergo non est idem motus voluntatis qui est finis, & ejus quod est ad finem.

Præterea. Actus voluntatis sequitur actum intellectus. Sed non eadem est cogitatio de fine, & de eo quod est ad finem. Ergo nec idem voluntatis motus.

Præterea. Contraria non possunt eidem simul inesse. Sed in eo qui vult dare eleemosynam propter vanam gloriam, voluntas quæ est finis, est mala, & quæ est ejus quod est ad finem, est bona. Ergo non est idem actus voluntatis utrobique.

Sed contra. Philosophus dicit, (a) Ethic. xi. cap. ii. Ubi unum propter alterum, ibi unum tantum. Sed illud quod est ad finem, desideratur propter finem. Ergo unum desiderium est finis, & ejus quod est ad finem.

Præterea. Non contingit potentiam esse in duobus actibus simul. Sed simul aliquis vult finem, & illud quod est ad finem. Ergo non est alius motus voluntatis qui est in utrumque.

S O L U T I O.

Respondeo dicendum, quod quando aliquid dicitur secundum relationem ad alterum, potest dupliciter considerari: vel secundum quod est res quædam in se absolute; & sic non est eadem consideratio ejus, & illius ad quod dicitur, sed divisim utrumque consideratur: vel secundum quod ad alterum dicitur; & hoc modo eadem est consideratio utriusque: quia qui novit unum relativorum, novit & reliquum, sicut in prædicamentis, cap. de ad Aliquid, dicitur; sicut si aliquis considerat imaginem, prout imago est alicujus rei, eadem consideratio erit imaginis, & ejus cuius est imago. Si autem consideretur imago, in quantum est res quædam, ut figura depicta in lapide; alia consideratio erit imaginis, & ejus cuius

In II. Sem. Tom. II.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Ut ex X. Ethic. cap. ii. prius indicabatur ad marginem: sed nec expresse ibi, nec alibi occurrit: & S. Thomas IV. Sentent. dist. ix. quest. i. art. 3. questum. 3. arg. 3. absque nomine Philosophi nude proponit. Colligi autem potest ex ejus Lib. de memoria, & reminisc. ut & illa quæ subjungitur duplex consideratio ejus quod ad alterum relationem habet, explicatius ibi, ac expressius quam præcedens habetur.

est imago. Ita etiam dico de eo quod est ad finem: quia quædam sunt quæ quærentur propter finem, quæ nihilominus habent in se unde desiderantur; & in talia potest voluntas ferri dupliciter: vel secundum quod ea propter finem quærit; & sic idem est actus voluntatis qui est in finem, & in illud quod est ad finem: vel secundum quod ipsa sunt quædam res per se desiderabiles; & sic est alia voluntas de utroque. Sed quædam sunt quæ non desiderantur nisi in relatione ad finem, ut sectio, & ustio, quæ in se mala sunt; & in talibus nunquam differt motus voluntatis, secundum quod voluntas fertur in ista, & in finem eorum: quia in ea voluntas non fertur, nisi prout considerantur sub relatione ad finem.

Ad primum ergo dicendum, quod finis, & id quod est ad finem, in quantum hujusmodi consideratum, non sunt diversa objecta, sed unum objectum: in quo finis sicut formale est, quasi ratio quædam volendi; sed id quod est ad finem, est sicut materiale; sicut etiam lumen, & color sunt unum objectum.

Ad secundum dicendum, quod quando voluntas fertur in id quod est ad finem, prout est ad finem, id quod est ad finem, non est terminus ejus: & ideo non oportet quod sint ibi duo motus; sicut est etiam unus motus continuus qui de extremo in extremum per media transit, nisi medio ut termino, in medio quiescendo, utatur.

Ad tertium dicendum, quod etiam cogitatio de eo quod est ad finem, prout consideratur in ordine ad finem, est eadem cum cogitatione finis; non autem cogitatio de eo quod est ad finem, ut est res quædam: & similiter nec voluntas.

Ad quartum dicendum, quod cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis; & hic actus totus malus est, licet nunquam ad finem id quod in eo est malitiam habeat: unus enim particularis defectus sufficit ad hoc quod aliquid simpliciter malum dicatur. Sed verum est quod si vellet hoc quod est dare eleemosynam, quod rem quædam non in ordine ad talem finem, actus ille voluntatis esset bonus; & esset alius actus voluntatis ab eo quod vult vanam gloriam.

ARTICULUS V.

Utrum voluntas iudicanda sit recta ex fine.

1. 2. quest. xviii. art. 4.

1. AD quintum sic proceditur. Videtur quod voluntas non sit iudicanda recta ex fine. Contingit enim aliquid malum propter bonum velle; sicut qui vult furari, ut eleemosynas det. Sed talis voluntas mala est; & tamen finis voluntatis est bonus. Ergo ex fine non iudicatur rectitudo voluntatis.

Præterea. Contingit quod aliquis faciat aliquid parvum, intendens magnum faceret; sicut aliquis datur obolum, si intendat habere tantam mercedem, sicut si daret centum marchas. Non autem sequitur quod tantum bonum faciat, quantum est finis quem intendit. Ergo ex fine non mensuratur rectitudo voluntatis.

Præterea. Contingit quod aliquis faciat aliquid parvum, intendens magnum faceret; sicut aliquis datur obolum, si intendat habere tantam mercedem, sicut si daret centum marchas. Non autem sequitur quod tantum bonum faciat, quantum est finis quem intendit. Ergo ex fine non mensuratur rectitudo voluntatis.